

E libris

gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

C. q. 14.

74
1592-1744

51

De
CHILONE,
Recterationis amatore,
&
METEORISMO
LOGICO

Theses XII,

Programmatis instar ventilatæ;

Cui accedit

Actus Oratorius

D. 21. Septembr. hora IX. publice habendus,


Auctore

Samuele Walthero,

Gymn. Magd. ConR.



MAGDEBURGI, Typis Andreæ Mülleri. MDCCXVII.



Vanquam Lacedæmoniorum respublica subtilissima
 fraude ac fuso philosophia Lycurgi vehemen-
 ter erat depravata: in Chilone tamen integratis
 prudentiæque haud dubia extare signa arbitror.
 Etenim si Gellius eum sapientia fuisse præstabilem
 dicit: hunc ipsi titulum deberi judico, propterea
 quod omnes suas actiones ad rectæ rationis usum
 vocavit. Confirmat meam fententiam D. Siculus,
 qui, consentientem, inquit, Chilo cum sermonibus vitam agebat, quod
 raro admodum reperias. Natus est Lacedæmon, ibique non solum O-
 lymp. LVI. Ephori gessit munus, verum alios quoque Ephoros instituit.
 Notari meretur fundamentum prudentiæ ipsius, *Cognitio nimirum Sui*, in
 qua tantum profecisse eum putant Veteres, ut in capiendo consilio, mo-
 rum probitate, perférendisque injuriis nihil a recta ratione alienum agere
 videretur. Nihil autem magis rationi existimabat adverfari, quam sermo-
 nes vagos ac lingua crimina, quapropter non solum brevitati in dicendo
 studuit, ita, ut morem hunc Chilonium appellarent philosophi, sed etiam
 juvenes moneret, ut senum auctoritatem & acumina sequerentur. Porro
 ita differre peritos ab imperitis dixit, ut domiti equi ab indomitis, viven-
 tes a mortuis, eo scilicet consilio, ut ostenderet quantum mens valeret sa-
 na. Quid hoc, quod principem semper immortalia meditari debere judi-
 cavit? Quod civium judicium obedientia legibus præstanda, mutuisque
 officiis acui putavit? Taceo alia ex D. Laertio haurienda. Imprimis me-
 mora-

morabile est, quod, senex cum esset, dixerit aliquando, se in tota fere vita
nihil præter rationem egisse. Quod cum aliquanto jactantius dictum esse
videatur: laudandus tamen est naturæ conatus. De reliquo tanti ratio-
nen fecit, ut futurorum etiam providentiam, (quæ ratione comprehendi
possit) virtutem Viri esse crederet. Mortuus est tandem summo civium
desiderio.

Ex his, quæ dixi, apparet, quantopere Chilo soliditatem & sanæ ratio-
nis usum amaverit. Recto igitur ac probo judicio tribuendum est, si quæ
laude digna geruntur in societate humana. Quo magis convenit, præce-
pta Logica & de modo verum inveniendi accommodari emolumen-
to Reipublicæ. Hic vero enormiter peccatum est ab Eristicis & Scholasticis.
Nam cum animum ad subtilia & rixosum disputandi genus flecherent,
factum est, ut non solum vita civilis, sed etiam Philosophia, quid? quod &
Theologia insigne caperet detrimentum. Tantum Philosophiæ Moraliæ
effecit ignorantia. Monuit igitur me sapientia Chilonis, ut nonnulla de
augmento Logices consignarem, ex quibus colligi posset, quis sit Schola-
sticorum Meteorismus, id est, vanus, ineptus atque a natura abhorrens ad
mentem perpoliendam apparatus.

I. Logicam nemo rectius tradere potest philo- sophiæ moralis cultore.

Disciplinæ enim sunt medicina miseriae humanæ, ergo & Logica
menti medelam afferat & sanitatem. Hæc vero restitu nequit, nisi
animus sit liberatus erroribus. At quem sapientum fugit, quam plu-
rimos ex moribus etiam derivari? Sive enim perturbationes ipsas, sive
quorundam vitæ statum corruptum consideres: utrumque patebit, men-
tem quasi fascino quodam infectum, falsa pro veris, certa pro incertis, ve-
rosimilia pro solidis arripere & suo tempore venditare. Nonne per totam
vitam amor & odium, favor & invidia, spes metusque mentem in diversas
rapiunt partes? Nonne mores vario corporis temperamento affecti ani-
mum in suos trahunt vortices? Quid memorem vitia cardinalia? Cum
Voluptas Epicureismum (liceat vocabulis vulgaribus uti) securitatem;
Ambirio Scepticismum, ~~ανασταθμιαν~~, Naturalismum, Atheismum; Ava-
ritia superstitionem & Magiam, atque hoc ipso corruptum vitæ statum ef-

formet: nonne ista animum tanto incommodo afficiunt, ut recte judicandi vim atque facultatem plane amittat? Taceo bona externa, & quæ commodi nomine veniunt, quibus, veritate neglecta, id quod utile est, pro vero venditur. Qvis igitur dubitet, varia diversaque inde nasci hominum iudicia, atque ita nasci ut Meteora? Multiplicari veritatem, cum tamen sit una? Abscondi fere, cum unusquisque eam se possidere arbitretur? sed hæc a philosopho morum doctore ostenduntur. Videamus ergo, quid expectandum sit aut a Scholasticis, aut qui eorum umbram sequuntur. Sive enim piscium instar hic muti sunt, sive sectæ virtus indigna auditu propnere, atque plane *μετωπίδιον* videbuntur. Atque hi fructus sunt superbia Peripateticæ. Hæc enim disciplina ab omni hominum memoria ~~deinceps~~ studio abrepta, cum indignum judicasset, ex hortulo Epicuri & Stoicorum porticu, ex Physicorum aliorumque philosophorum phrontisteriis non omnia, sed ea, quæ singuli præclare statuunt, in suum usum convertere: quam longissimæ natura recedens in inanem subtilitatem, dialectices acumina, & disputationum labyrinthos est prolapsa. Tantum philosophia moralis ignorantia & ~~ancoræ~~ efficere valet ac comparare.

II. Alius cogitationum fons & officina est aperienda, quam vulgo in Logicis fieri solet.

Neque hoc a cathedrario, ut Seneca ait, philosopho expectandum, sed ab Ethicæ facultatis perito, qui Deum ipsum präeuntem sequitur, & Naturam. Deus vero, Mose interprete, pronuntiat, esse *machschébbhot blef, figmenta cordis*, Natura *דילאנוּת, amorem sui corruptum*. In utroque, appetitus quid possit ad depravandum iudicium, ostenditur. Appetitus ut plurimum movet mentem, format ideas scopo suo inservientes, etiamque limitibus coercet suis. Unde ora est Eclectricorum regula: *Voluntas esse crudelis in mentem & cogitationes imperium*. Cum vero eidem appetitu summam agitationem, qualis in rota appareat, tribuat Salomon Sap. IV, 21. Hinc sponte fluit illud axioma: *Perversa esse natura omnium hominum iudicia, summaque imis misceri*. His jungo Pauli effatum, qui gentes, ait, cupiditatibus in errores esse pertractas, Ephes. IV, 17. 18. Ex quo illud: *Malitia hominum vanitasque studium esse errorum gravissimorum causam*. Sunt quidem hæc ex divinis oraculis depromta, verum ad purioris philosophiae

sophia capta referenda, quæ scilicet aperte demonstrant id, quod in ore plerumque habent Eclectici: *Non dari bonos Logicos, nisi sint boni Ethici.* Mores enim, ut dixi, judicii vim inflectunt, mentique spatha determinant pro imperio voluntatis. Quamvis autem mens necessario ita judicet, ut res ipsi listuntur: appetitus ramen, umbris offusis, imagines ita proponit, ut ex commodo voluntatis fiat judicium. Itaque ideas quidem ad mentem referimus, judicia vero, si theoretica quædam excipias, actus esse voluntatis existimamus. Quoniam autem homo natura ad malum fertur, non sola consuetudine: sequitur, *Logicam facultatem non perfecte acquiri, nisi Voluntati imperium sit abrogatum.* Frustra igitur Logica illotis quasi manibus seorsim traditur, atque Scholastici hunc fontem in præceptis Logicis pessime negligunt, falso sibi persuadentes, cogitationes ad mentem pertinere solam. Unde præcepta eorum sterilia esse, & ad sapientiam generandam inutilia vel Davus affirmabit. Quanquam quid ex spinis ficus queramus? Quos ex Scotistarum, Carpenteriorum, Vasqueziorum, Suareziorum meteoris speremus colores?

III. Philautia cognitio turpiter in Logicis vulgaribus est omissa.

En insignem doctrinæ moralis in arte bene judicandi usum! Hæc enim docet, eam esse præjudiciorum effectricem. Oriuntur ista aut ex puris aut mixtis facultatibus. Imprimis noratu dignissima sunt ea, quæ ex *Precipitantia, Auctoritate & Affectibus* originem ducunt. Dicunt non potest, quantam Veritas horum labo & veneno lucis suæ faciat jacturam. Stultas enim opiniones pro veritate ipsa venditant, qui socratismus aut imperitia laborant, quique aliorum ingenium, suumque emolumentum sequuntur. Quare efficitur, ut principia quædam mentibus imprimantur hominum, per totam vitam ipsis dannum afferentia, ut *Jucundum aut Utile esse verum.* Videmus sane quotidianus alios in voluptate, alios in utilitate verum querere, quia incredibili ejus cupiditate sunt inflammati. Atque hinc est, quod Cæsar semper in ore habuit illud Euripidis: „Nam si violandum est jus, regnandi gratia violandum est; aliis rebus pie, statem colas. Liceat igitur ingenia dispescere in ea, quæ *Symbola seculi,* & ea quæ *sancissimæ Veritatis vestigia amant:* & manifesto elucebit utriusque

usque partis indeoles in ~~προσωπιο~~, ut Prodicus rem apud Xenophontem exprimit, & veritate ipsa amplectenda. Nemo nostrum ignorat, ignem purgatorium esse vocabulum otiosum, non desinunt tamen hujus patro- ni figmentum istud defendere, quia utile locum obtinet veri. O dete- stabilem præjudiciorum vim! Hanc vero doctrinam a Scholasticis desi- deres? a Scholasticis inquam, qui cognitionem sui susque deque haben- tes, subtilia quærendo, præjudiciorum mole sunt impediti? Immo vero in scholis eorum videoas præjudicia oriri ceu pestem, mobilitate vigere ceu pestem, vi sua nocere ceu pestem. Fit igitur, ut multorum in repu- blica literaria nœvi a prudentioribus luci publicæ exponantur.

IV. Insignem & hoc meretur notam, quod non ostendunt Sophistæ, quænam in mente sit impotentia naturalis.

Tanta miseria animus est cumulatus, ut infinitæ molis sit, his malis eluctari. Quantum, quæso, obscuritas, confusio, dubitatio & imbecilli- tas in percipiendis rerum formis, in judicio ferendo; quid divisio rerum, quæ natura cohærent; quid conjunctio notionum sibi adversarum; quid definitio incongrua parit incommodi? Quantum argumentatio, adhibita causa debiliori? Nam quod maximi momenti est, vix quisquam datur, in cuius vita (Galli foiblesse dicunt) non conspiciatur aliquid absurdum. Vitium illud humana naturæ commune in Idearum consociatione est querendum. Sapientiæ enim ideae perperam inter se connectuntur, &, licet nulla inter eas sit cognatio, ita tamen vinculo quodam copulan- tur, ut eas separare admodum sit difficile. Itaque se mutuo comitantur, una mentem subeunt, incautisque ita imponunt, ut de improviso extra oleas, quod ajunt, versentur. Hæc & sexcenta alia Philosophus naturæ corruptæ scrutator examinat, diligentiaque ad amovendos hosce morbos opus esse docet. Quid hic Scholastici? sicco rem arduam transeunt pede, putantes, se rerum suarum fatigere. Abunde enim est ipsis, si de Termino, Propositione aliisque suo systemati inclusa pauca, ea que cognitu facilimæ in medium proferant. Quotidie recurrent ad eadem vocabula, Homo, Animal, & eadem enunciata: Omnis homo est animal, Petrus currit, Omnis homo est risibilis. Quidni, omnès Scholastici sunt deridiculi, id est, risu digni?

V. Ima-

V. *Imaginationis vis, quo magis influit in actiones hominum,
eo diligentius explicanda est in dialectica disciplina.*

Nulla species cogitari potest nisi pulsu imaginum. Hanc facultatem, quæ ejusmodi impressiones admissit, Vsum philosophi, *Φαντασιαν* Græci appellant. Ejus vis & dominium in homine est longe maximum. Nam nullo non tempore vel recipit objectas sensibus species, vel receptas agitat imprimitque memoriæ, vel easdem judicanti animo sifit. Unde passiva & activa nomine consideranda venit. Hic vero in physiologia Ethica diligentissime examinatur a rerum intelligentibus ejus origo, morbi, vicia, luxuries, defectus & contagiosa communicatio imaginationis fortis seu vividæ. Inquiritur in causas eloquentia splendida aut macilenta, in rationem philosophiae mysticæ, Pythiarum, Theosophorum & Enthusiasm abreptorum, ostenditurque, quam male ab ipsis habeatur veritas. Observatur ejus diversitas in linguis & judiciis gentium, vario cœlo & aere fruentium, atque adeo amplissimus rerum peritis panditur campus. Quid Scholastici? Non docent, quomodo ea sit corrigenda, quibusve sit circumscribenda limitibus, sed ut labruscam serpere patiuntur. Quid? quod Logodælorum instar futilibus speciebus & meteoris oppalent palæstram suam. Quod igitur inter eruditos multi velut umbræ per inane volitant, sophistarum peccatum esse existimatur.

VI. *Ingeniorum quoque ratio cum maxime sit habenda, non video, cur in vulgaribus compendiis sit prætermissa.*

Ex ingeniorum diversitate vel gloriæ fortitudo veritas, vel maculam. Philosophia igitur moralis studiosus hoc sibi injunetum ab ea officium esse novit, ut in naturam ingeniorum inquirat, propterea quod ex propensionibus etiam hominum diversitas oritur ingeniorum. Cum enim quotidie occurant felicia, mediocria, arida, sublimia, abjecta, curiosa, laboriosa, splendida, oscitantia, abstrusa, aperta, tumida, contemplativa, practica ingenia: de his nemo rectius judicat philosopho sobrio, modumque ille tradit, quomodo ea sint vel confirmanda vel emendanda, ut Deo & patriæ inde non contemnendus redundet usus. Frustra vero iterum iterumque ad systemata vulgaria recurras, perceptus

rus

rus nonnulla scopo tuo inservientia. Neque adhuc cessat vetus & per-
vulgata illa querela, *negligi scrutinium ingeniorum*. Apolline enim in
utramque aurem dormiente succrescunt lolii instar varia ingenia, fucum,
dolum improbasque artes disseminantia. Verum haec in sacro Aristoteli-
telis organo non reperiri dicent hujus amatores. Bene. Vocem com-
primo.

VII. Si veritas capiat emolumendum, non sunt
audiendi Scholastici.

Ex quo tempore inutilis rerum sublimium contemplatio, & tortuo-
sum genus dicendi caput extulit, veritas fieri cœpit languida atque florem
demittere. Inde questa est, Theoriam præponi sapientiæ, separari item
ea, quæ sunt conjungenda. Cui malo ut remedium afferatur, Philoso-
phiæ moralis & proficua veritatis amator virtutes (quas habet morales
vocant) suis auditoribus serio diligenterque commendat, *Probitatem*
nempe, cuius adjumento utilium rerum veraeque sapientiæ amor excite-
tur; *Diligentiam*, quæ in applicanda mente ad utilem veritatem cognoscendam cernatur; *Providentiam*, quæ actiones ita dirigat, ut cum vera
congruant, atque exinde prudentiæ appareant vestigia; *Obedientiam*, ita
veritati inservientem, ut homini conciliet justitiae & æquitatis studium;
Constantiam, quæ fluctuantem animum compescat, quæque fide, tempe-
rantia ac fortitudine armata, veritatem solidam & honestam contra Ma-
tæologiæ injurias defendat. Unde *ναθαγονι*, hoc est, mentis virtutes, ima-
ginationis & appetitus temperiem, ingeniique culturam idoneo auditio-
ri ad sanitatem comparandam injungit. Quæcum in compendiosis Scho-
lasticorum nusquam compareant, adeoque de vero & cognitione rerum
ad felicitatem pertinentium nulla fiat mentio: non video, quo jure
teratologiam scholasticam animo imbibendam esse statuam.

VIII. Veritas utilis habet sua adjumenta, (a) Me-
ditationem & *αιδοησιον*.

Meditatio est anima eruditionis, adeoque & Veritatis. Quomodo
ea a juvēne docili sit instituēnda, alio loco explicabo. Nunc observasse
sufficiat, eruditissimos quoscumque hac arte ad summum eruditioñis per-
venisse

venisse fastigium, otiosam vero turbam immisisse faleem in alienam messem. Primum autem & extremum in meditando est cognitio naturæ. Ex quo fluit ~~et~~ sive sensus earum rerum, quas percipimus, estque propria experientia. An vero a Scholasticis hæc via est speranda? Minime. Nam suæ hæresi intenti mentis agitationem, utiliumque rerum pervestigationem impediunt, aut certe minus urgent. Quo factum, ut multa ingenia fuerint arida, macilenta, atque ad recte judicandum inepta. Hinc tot fures nati, qui aliorum cogitata in suas plagas conjicere caluerunt.

IX. (b) Interpretationem,

Hæc tam necessaria est ad animum bene formandum, aliorumque sensum pervidendum, ut sit veritatis alter quasi oculus. Sophistæ autem ipsum Aristotelem (quanquam ille in multis Grammaticus est) turpiter neglexerunt, causamque tandem Jure peritis dedere, hanc disciplinam ad lepta Juris Naturæ pertrahendi, cum tamen sit pars Logicae. Unde Historia docet, quam oscitanter multi hac destituti veritatem cum aliis communicarint.

X. (c) Soliditatem.

Demonstrationis nimirum vim, cuius ratio in analyticis traditur. Sed hæc facultas profundam universæ eruditionis cognitionem requirit. Hujus loco Sophistæ dialecticam summo in fastigio collokarunt. Quare effectum est, ut verosimilia venderent solida veritatis loco. Nonne vero hoc est decipere humanum genus, & veritatem enervare? Quanquam vero magna etiam de demonstratione a Scholasticis ante bonarum literarum παλιγγενεια erant volumina descripta: sub pondere tamen suo defecernut boni viri; atque ex ipsa subtilitate & exemplis allatis constat, quam humilis, quam jejuna sit ipsorum scientia.

XI. Syllogismus non est finis Logicae.

Mentis sanitas & rectæ rationis usus præponderat. Non ignoro, hæc præter opinionem Vulgi dici, non autem possum, quin hæc libere scribam. Loquatur pro me Planctus Philosophus Witteber-

gensis, loquantur alii, quorum magnus est numerus. Quod si vero Syllogismo forte opus est, unum eumque naturalem, atque ex evidenteribus principiis sponte fluentem statuo Syllogismum, atque ad eum dijudicandum utor regula Nicolii: *Major sit continens, minor contenta*, nec non Planeri: *Predicat a sicut latiora subiectis*. Exemplo res fiet clarior. Mortalis, Homo, Petrus. O homo est mortalis, Petrus est homo, E. Dabo aliud: Mortalis, equus, homo. O homo est mortalis, Equus tunc est homo, E. equus non est mortalis. Nam falso hoc colligi regulae praedictae indicant. Inutilis igitur est operosa *medii termini* inventio Scholasticorum, ad Pontem asinorum, non ad ipsas disciplinas recurrentium. Valeant ridiculae machinae & horrida III. figurarum nomina. Exulet reduc[t]io ostensiva, insipidae deliciae. Valeant meteora!

XII. Ex Scholasticorum itaque doctrina nulla capacitas animi, quæ ad Logices studium requiritur, est speranda.

Medicinam enim morbidæ menti invident & felicitatem. Sed ne quid defit huic illustrationi, suppeditabo desiderata quadam:

- 1) Definitio Logica Schol, nihil minus pro scopo habet quam veritatem.
- 2) Sapientiam esse cognitionem rerum cognoscibilium, falsissimum est.
- 3) Logica schol. non disponit animum, ad veritatem in disciplinis investigateam.
- 4) Utilis Veritas apud Scholasticos languet, inutilis viget.
- 5) Nesciunt Veritatem, qui eam non omni studio applicant ad vitam.
- 6) Impedimenta Veritatis non removere, est ipsam Veritatem negligere.
- 7) Scholasticorum Logica non continent principia communissima, animis insita, atque ad vitæ usum necessaria.
- 8) Nec doctrina de Ideis sobrie & utiliter in ea traditur.
- 9) Gnostologia & Noologia augent subtilitatis mala.
- 10) Axiomata ibi allata pertinent ad Jus naturæ, &c.
- 11) Scholasticorum dogmata de analogia sunt tela aranearum.
- 12) In Prædicabilibus multa inveniuntur inutilia.

13. Far-

- 13) Farrago de genere & speciebus est ineptissima.
 14) Falsum est, essentias, quæ ad Universalia referuntur, esse notas.
 15) Essentias rerum consistere in indivisibili, nimis audacter dicitur.
 16) Scholastici non possunt scire rerum omnium differentias specificas.
 17) Categoriae sunt Græcae loquacitatis mutulum & mancum dictionario.
 18) X. classes haustæ sunt ex vulgi locutionibus.
 19) Vel rusticus potest ad X. classes respondere. v.g. Agellus.
 20) Numerus denarius refert Pythagoreorum mysteria.
 21) Ad augendam rerum cognitionem jejuna Categoriarum recensio nil valet.
 22) Abstractiones de conceptu substantiæ, totius, partis, essentiæ sunt inepta.
 23) Inutilis est distinctio in Categorias, Ante & Postprædicamenta.
 24) Postprædicamenta sunt partim ~~anatomica~~ physica.
 25) Scholastici non raro pro rebus ipsis significationes nominum diversunt.
 26) Logomachias debemus Scholasticis, quia plerumque definitiones omisere.
 27) Modales non sunt quatuor.
 28) Ridicula sunt principium individuationis, suppositalitas, identitas, hæcceitas, &c.
 29) Schol, Methodum inveniendi medium terminum rejicimus ad pontem asinorum.
 30) Syllogismos I. II. III. figuræ facere, est histriонem agere.
 31) Dictum de Omni & Nullo non indiget figurarum technis.
 32) Disciplina Topicorum per se est bona, sed vitio Scholasticorum fit fons vaniloquentiæ.
 33) Præcepta analyticæ paucissimis regulis possunt includi.

Ergo

- Bar Q. vana & subtilia proponit, Meteora fingit; non solida.
 ba O. Scholastici vana & subtilia proponunt,
 ra E. O. Scholastici Meteora fingunt, non solida.

Patro-

Patronis approbantibus juvenes, qui s̄epissime orationes publice elaborarunt, nunc meo ductu occasione rerum, in Chilonis vita memorabilium perorabunt sequentes:

1. Jacobus Fahland, Langenweddingensis Magdeb. de Meteорismo actionum humanarum differet.
2. Christoph. Isaacus Boetticher, Magdeburgensis, verba faciet de Vaticinandi facultate.
3. Carolus Gottlob Cuno, Falckenberga-Stendaliensis, dicet de More Chilonio, (de quo vide Lærtium.)
4. Fridericus Hesse, Wernigeroda-Stolbergensis, de Prærogativa proferet quædam.
5. Andreas Caspar Stanimer, Wegelebio-Halberstadiensis, quem postquam ille quatuordecim annos in Lyceo nostro eruditum trivit pulverem, publice collaudatum nunc dimittimus, de Lockio sermonem instituet valedicturus.

Quatuor priores Germanice perorabunt, ultimus Latino idiomate.
Adeste igitur Mecanates, Fautores, Amici, atque conamina nostra, ad excitandam juventutem Ephorum jussu instituta, loco consveto, præsentia vestra decorare.



LATO

72 919.

ÖN A 6610



V ① 18

5b.

V ① 17
V ② 18



De
CHILONE,
Recterationis amatore,
&
METEORISMO
LOGICO
Theses XII,
Programmatis instar ventilatæ;
Cui accedit
Actus Oratorius
D. 21. Septembris hora IX. publice habendus,
Auctore
Samuele Walthero,
Gymn. Magd. ConR.



MAGDEBURGI, Typis Andreæ Müller. MDCCXVII.

